

Klarin fehlte Nr. 8

am 10.4.1917.

Suchier.

FACULTATIS MEDICAE

IN

ACADEMIA LIPSIENSIS

H. T.

PRO-CANCELLARIUS

D. Michael Ernst Ettmüller,

PROF. PVBL.

PANEGYRIN MEDICAM

INDICIT.

B. B.

Intra alia delicta, quæ Leges punire debent, non infimum est, si conceptus per abortum data opera perimatur, sub hac tamen disparitate, ut qui animatum foetum interimit, graviore afficiatur poena, præ illo, qui inanimatum saltem exturbat. Supponentes itaque ICti, foetum in utero aliquandiu inexistere inanimatum, quarunt ex Medicis, quo dierum tempore foetus animetur, ne justo mitiore poena atrocius delictum, veri scilicet homicidii, puniatur. Mire torsit nullo non tempore de ortu animæ quæstio Veteres non minus Philosophos ac Medicos, & etiamnum torquet Recentiores, siquidem alii induci, creari alii, aliud traduci animam crediderunt. Non allegabo jam Platonicos, qui statuebant, animas in primo rerum ortu omnes uno eodemque actu suisse procreatos, & loco poena in corpora detrudi unam post aliam, cum fastidio bonorum celestium cœpissent amare res terrenas. In sacris enim literis altum de hac creatione est silentium, & ne illud determinari haud potest, in quo interim divertant animæ, antequam cum corpore aliquo uniantur; & Deus peccati originalis hac stante sententia Author constitueretur. E cœlo & astris in materiam satis elaboratam induci putarunt animas alii, parum tamen applausus meriti. Effectus enim peculiaris & particularis, qualis anima est, a causa proxima & determinata dependet, non a causis remotis & indeterminatis accersendus. Hac ratione nobilior foret effectus sua causa, omnisque generatio univoca tolleretur; quid quod explicari haud queat, cui materia elaboratio interim sit in acceptum ferenda? Bene hinc cum THOMA ERASTO de occult. med. prop. Lib. I. c.7. pronuntiant: *Qui formas specierum a sideribus infundi ausint affirmare, a Philosophis ridebuntur, a Christianis etiam execrables recte judicabanzur.* Alii animas singulis diebus a Deo creari & corporibus jam in embryone formati, coelitus infundi existimant. Ast cum Sacra Literæ nos doceant, Deum post sextum creationis diem quievisse ab omni opere, statui certe non potest, eum etiamnum animas creare. Est præterea doctrina hæc blasphema in Deum, puram animam

animam in squalidum corporis ergastulum detrudentem, ob quod
damnationis incurrat tonitrua pici submissa infernali; aut certe ani-
mam peccato originali contaminatam creantem; iniuria est in homi-
nem, qui hoc pacto brutis imperfectior foret, corpus, non vero ani-
mam suppeditans loboli; nec pater quis dici tum posset hominis;
corpus enim absque anima non est homo; Nec parentes essent cau-
sa physicæ prolis sua, sed morales, intuitu animæ. Generatio autem
est essentiæ communicatio. Qui per traducem propagari animam
credunt, terminum hunc traducis non accipiunt in nativo suo signi-
ficatu, prout notat propaginem seu partem ab arbore sectam, & in
aliam traductam, ut generationis opus perficiatur; sic enim sectio-
nem & divisionem implicaret traductio; sed metaphorice & analogi-
cice, ita ut traductio nihil aliud inferat, quam productionem animæ,
qua spermati beneficio in hominis generatione vi benedictionis
divinæ, sine sui destructione ad plures homines propagatur; haud se-
cūs ac ignis non imminuitur, mille licet faces ab eo accenderis, ac tua
scientia non perit, si eam centum Auditoribus communicaveris. Ar-
gumenti loco ipsis est, quod homini concessa est facultas sese multi-
plicandi quoad speciem suam, id est, qua animam & qua corpus, alias
a simili simile non generaretur. Certitudini suæ sententiaæ confi-
non reformat objectiones, quas contra hoc dogma formare solent
alii, qui existimant, semen humanum haud producere posse animam,
quia nullum corruptibile generare potest incorruptibile; respondent
enim, se non statuere, ex semine, sed cum & in semine propagari ani-
mam. Et si instant, omne generabile esse corruptibile; regerunt isti:
ex internis causis æstimandam esse corruptibilitatem & ex natura,
non ex origine & externo producendi modo, sicut non statim incor-
ruptibile sit, quod creatur, ita nec corruptibile, quod generatur. Si
excipiunt, infinitas animarum myriades hac ratione corpus Adami
occupasse, prout Judæ crediderunt; habent, quod reponant, dicen-
tes, ex insufficienti nihil fieri, nec extra conjunctionem conjugalem
causas socias generare, sed generationis effectus ut sequatur, in thoro
se copulent, necesse esse; hoc tamen certum existere, in genera-

ne filii numero aliam diversamque, specie eandem produci animam.
Eleganter hanc in rem B. CALOVIVS Tom. III. System. Quest. Theol.
p. 110g. dum inquit: Neque enim necesse est, ut in illis ante generacionem
contineatur, sed producitur ab anima Parentum, adeoque productur
per potentiam generativam vi divinae benedictionis Parentibus actu
anima, qua antea in iis actu non fuit, Et traducitur ordinarie non ab
alteruero Parentum, sed ab utroq; in unam carnem, quod quomodo fiat,
Deo, qui hanc vim indidit, committendum. Idque est, quod crucem ma-
xiime fixit Philosophi⁹ hoc in negotio, dum ratione comprehendere
non poterant, quomodo ab animabus animæ propagarentur? eo
enim modo, quo in corporibus sit generatio, id non contingere, ea-
rum immaterialitas suadet: dicendum igitur est, animas propagari
modo spirituali, id est, spiritibus debito, & incomprehensibili. Mi-
rum autem est, quod anima rationalis, qua quævis abstrusa & recon-
dita cognoscere potest, suam ignoret naturam; unde factum, ut tot
inter eruditos ratione ejus essentia, ortus idearum, cum corpore vin-
culi & originis motæ fuerint controversiæ. Sunt enim, qui mentem
nimis evehunt, ejusque originem ex ipsa Dei essentia accersunt, divi-
naque naturæ particulam esse contendunt; alii nimis abjecte de ea
sentiunt, illi scilicet, qui eam sanguinem, aquam, aërem, vaporem,
numerum, inane nomen dixerunt. Mens enim nostra nobis neque
per sensus, neque per abstractionem, sed per conscientiam nostri, per
attentionem ad nosmet ipsos innotescit. Et si collata inter se fuerint
de illa Philosophorum opinione, anima res erit omnium monstrorum
monstroſissima, ut ait GUILBERTVS COGNATVS in Notis ad
Luciani Hermol. pag. 303. Hos nævos quidem sic emendasse Carte-
fium existimat de la FORGE in Tr. de Mente humana cap. 6. pag. 29.
ut huic soli deberi clamaret, quod natura mentis nobis nota facta sit,
postquam eam per ens cogitans definivit. At rectius fortassis PE-
TRVS POIRET Lib. I. Part. I. de Erudit. solidâ pag. 13. de eo jü-
dicat, quod in natura mentis cognoscenda plane cœcutierit. Verissi-
mum igitur permanet effatum B. GERHARDI: de anima dispu-
bant, dicentes, donec siant examines. Cujus rei causa num in eo ver-
setur,

setur, quod anima nostra admodum profunde & intime materiae sit
immersa, ut ne cogitare quidem sobrie, multo minus in se reflectere
possit, nisi haec ejus officina rite sibi constet; siquidem spiritibus ani-
malibus turbatis cerebrique officina violata, in suis etiam exinde co-
gitationibus, mediationibus, omnibusque operationibus vel maxime
immanentibus, ita turbatur, ut nec recte intelligere, et judicare, nec
velle recte amplius queat; quae omnia intimam animae cum materia
~~περιχώσεων~~ satis superque indicant? ut vult M. SAM. CHRISTIAN.
HOLLMANNVS Dissert. poster. de stupendo naturae mysterio, ani-
ma humana sibi ipsi signata, sect. V. §. i. meum jam non est inquirere.
Quod de anima dixi, de Spiritu quoque in genere intelligi debet; si-
quidem substantiarum spiritualium essentia positive abs nobis con-
cipi haud potest, juxta PETRVM van MASTRICHT in Gangran.
Novit. Cartes. Sect. II. cap. 6. pag. 233. & merito exclamant Collecto-
res Additam. ad obser. select. ad rem literar. spec. Tom. X. obs. XIV.
pag. 386. O quam parum accurata est nostra ~~περιχώσεως~~ de spiri-
tu. Hæc sane tam imperfecta & mirila, & manca est, ut Spiritus
conceptu quidditativo non destituamur tantum, illo scilicet, qui conti-
neat omnia ejus essentialia prædicata ad ultimam usque differentiam,
sed & talis in nobis est imbecillitas, ut adæquatam ejus ideam ne ex-
petare quidem queamus. Hinc prudenter dixit JVL. CAES. SCA-
LIGER de Subtil. ad Cardan. Exerc. 307. p. 985. Sapientiae pars
est, quedam aequo animo nescire velle. Et quanquam ANT. DEV-
SINGIVS de Foetu Muscipont. sect. X. ut ad originem animæ reverta-
mur, dicat: Nec sane est ratio, cur de vera anime rationalis origine
invenienda desperemus, si modo præjudicia seponamus ex animo, nec
inhæreainus hypotesibus, naturae rerum adversis; Hæc tamen con-
troversia hactenus ex fundamento decidi nondum potuit, adeoque
nec certus animationis foetus terminus constitui valet. Quodsi enim
Traducianis te assicies, non post dierum demum aut septimanarum
aliquot de cursu foetum animam recipere, sed ipsum primum con-
ceptum mox animatum statuere conveniet; hinc homicidium pa-
trabitur etiam ab illo, qui recens conceptum foetum per abortionis

poculum abigit. Sin Platonicum, Inducianum, Infusianum seu
Creatianum te profitearis, certus ante omnia de infusionis huius tem-
pore esse debes, de quo multæ magnæque fuerunt controversiæ.
Olim supponebatur, tum demum animari fœtum, quando perfecte
formatus est, quod in masculis 30. in pueris 42. diebus fieri HIPPO-
CRATES passim, v. g. *de Natur. puer. N. 10.* & *11.* putat, cui assen-
titur GALENVS *Lib. XV. de Vju part. cap. 5. class. 1.* Alii v. g.
FIENVS *de format. fæt. qu. 10. cond. 11.* & in *Apologia adversus Ant.*
Ponte Santacruz, tertio statim die, MERCVRIALIS *de Morb. Mul.*
Lib. I. cap. 2. & PETRVS GARCIA *difsp. ult. de Loc. affect. cap.*
ult. septimo hoc fieri contendunt. Aſt HIPPOCRATIS & GA-
LENI opinionem amplectuntur MERCATVS *de Mulier. Affect.*
Lib. IV. cap. 1. MOXIVS *Lib II. cap. 14.* RHODIGINVS *Lib. XIV.*
Lect. antiqu. cap. 23. imo terminum illum ad 60. dies v. g. ZA-
CHIAS *Quesit. Med. Leg. Lib. I. Tit. 2. qu. 9. §. 24.* Alii ex JCTis, ut
MENOCHIVS *de Arbitrar. Judic. L. II. Cent. IV. cas. 357. N. 3.* ex
Bartoli aliorumque sententia in masculo ad 40. in foemella ad 90. dies
& ANDR. OTTOMAR. GOELICKE *in Diff. de Partu octimestri*
ad medium gestationis tempus extendunt. In quo opinionum di-
vortio quis animationis fœtus terminum certo determinabit? Quip-
pe si in ipso conceptionis momento animam rationalem a Creatore
summo inspirari dicas, nullo unquam tempore non animatum fœ-
tum asserere poteris; Sin alio quovis tempore, incertum manebit
hoc, a nullo vel Medico vel Philosopho dierum numero circumscribendum.
Si cum B. LVTHERO aliquis επεχον placet, quid
Juris Consulti facient justitiam administratur? MENOCHIVS
loc. cit. N. 7. Ego tamen, inquit, rectius dicendum opinor, pœnam
extraordinariam regulariter esse indicendam illi, qui abortioni cau-
fam dedit, nulla distinctione adhibita, an fœtus esset vel non esset ani-
matus. JOH. ANDR. PLANERVVS *Diff. de animæ humanae propa-*
gatione pag. 71. peculiarem fovet sententiam circa pœnam capitalem
inflicendam, Nostro, dicens, alioquin judicio omne supplicium ulti-
num ex genere humano tollendum videretur, proscribendumque, ad sea-
lasque

lasque damnandum Gemonias. Nostrata Dicasteria, foetum ante dimidium uterum gerentium tempus pro non animato, post illud pro animato habent, illiusque expulsionem extraordinaria, hujus vero capitali poena multatam solent, innixa partim Ordinationi Criminali Caroli V. partim Constitut. Elec^t. Saxon. Augusti; siquidem illa Art. 131. & 133. inter ein lebendig gliedmaßig Kindlein, &, das noch nicht lebendig ist, distinguit, haec vero P. IV. Const. 4. da aber die Frucht nicht gelebet, und solches (abortus procuratio) noch unter der Helfste nach der Empfängniß gescheheit, expressa habet verba. Plura hac de re differere licuisset, nisi pagellas has Panegyri indicenda ex consuetudine mancipatas nossem. Postquam enim

V I R

Juvenis Nobilissimus atque Doctissimus,

D O M I N V S

M. FRIEDERIC. CHRISTOPHORVS
PRAETORIVS,

Neostadiensis ad Orilam, Medicinæ Baccalaureus,

at teneris unguiculis non modo literis humanioribus sedulo incubuit, totumque Arti Medicæ se consecravit, sed & talem Philosophiæ cognitione probe imbutus multos per annos ab ore Doctorum publicorum industrie eo hausit successu, ut ante biennium jam examine theoretico apud nos cum laude exantlato primam Medicinæ Lauream promeret, Licentiam nunc porro supremos in Arte laudata Honores capefendi a Gratiissima Facultate nostra petiit; dignum hæc eum ex Lectionibus & que publicis ac Practico seu rigoro-fo examine iudicavit, cuius voto fieret satis. Hinc vi & auctoritate

Procancellariatus, quem *Reverendissimus, Serenissimus ac*

Celissi-

*Celissimus Princeps ac Dominus, DOMINVS
MAVRITIVS WILHELMVS,
Dux Saxonie, Cliviæ, Montium, Angricæ & West-
phaliæ, Postulatus Administrator Episcopatus Mart-
tisburgensis, Landgravius Thuringiæ, Marchio Mis-
niæ, & superioris ac inferioris Lusatiae, Princeps
Hennebergicus, Comes in Marca, Ravensberg & Bar-
by, Dynasta in Ravenstein, Academiæ hujus Nutritius
indulgentissimus, atque Cancellarius perpetuus, Do-
minus meus Clementissimus, ad consuetam Collegii nostri
denominationem mihi clementissime injunxit, nullus morabor, pro-
ximo die Veneris B.C.D. a Dissertatione de Scarificatione Oculo-
rum desiderato Licentia Medicæ Gradu ac Dignitate solenniter
ipsum condecorare. Cui Solennitati ut Magnificus Academiæ Re-
ctor, Comites Illusterrimi, Amplissimi urriusqne Reipublicæ Patres
conscripti, ac florentissima nobilissimorum Studiosorum Corona, per-
honorifica sua præsentia Splendorem faenorari ne graventur, qua-
decet humanitate rogito, ad quævis vicissim officia me cum nobis-
lissimo Domino Licentiando sine exceptione obstringens.*

P. P. Lipsia Dominica XV. post Trinitatis
MDCCXXIX.

LITTERIS TITIANIS.

01 A 6551



f
SL

WMA



21

3

FACULTATIS MEDICAE
IN
ACADEMIA LIPSIENSI
H. T.
PRO-CANCELLARIUS
D. Michael Ernst Ettmüller,
PROF. PVBL.
PANE GYRIN MEDICAM
INDICIT.

